



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

255. feria 4. de fructibus perfectæ dilectionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Feria 3. Domin. 12. post Pentecost. 455

aliquid facturum primum coelos suspiciebat. Ipse denique dixit, cibum suum esse, facere voluntatem Patris semper.

Conf. 2. Infinitam charitatem Christi erga nos; quia nobis natus, datus, nobis vixit, laboravit, passus est, & pro nobis animam suam dedit, quâ charitate non datur major.

Conf. 3. Charitatem Christi erga inimicos. Fugit in Ægyptum, ut inimicis suis beneficeret. Arguit vindictam volentes contra Samaritanos: Quia venit ignem charitatis mittere. Accipit osculum a Iuda. Satiatur opprobrijs, orat pro inimicis, idemque nobis suadet, & nomen Dei Filij promittit.

MEDITATIO CCLV.

Feria 4. Domin. 12. post Pentecost.

De fructibus perfecta dilectionis.

Svipiciam fructus duodecim perfectę dilectionis, dulces eos habenti. Petam eos assequi.

Conf. 1. Fructum perfectionis 1. qui est puritas mentium: perfecta enim charitas, perfecta lux pellit & mortalium tenebras, & venialium umbras. 2. Fructus est abjectio temporalium: charitas enim perfecta plenus thesaurus omnes mentis recessus implet. 3. Quies appetituum: perfecta enim charitas prudentissimus gubernator rempublicam nostram

456 FERIA 2. DOMIN. 12. POST PENTECOST.

nostram regit, & ad tranquillitatem redigit.
4. Circumspectio verborum: charitas enim carbo ignitus, oris sordes exurit, & labia purificat.

Conf. 2. Fructum. 5. Qui est munditia cogitationum: charitas enim perfecta exteriorum quidem operum bonitatem quaerit, & minimas ab eis imperfectiones removet: sed majori cura cogitationes custodit, & phantasias foedas, amaras, suspiciosas amovet. 6. Impatientia desideriorum, vel incrementa: charitas enim perfecta ignis est, quae nunquam dicit, sufficit, & semper nova opera addit veteribus, & cum fatigata putatur, tunc dicit: Nunc coepi: aliae cupiditates lassantur, haec nunquam. 7. Sollicitudo virtutum: charitas enim, ut mater sollicitissima, omnes virtutes ad opus & labores suscipiendos excitat, & occasionem earum exercendarum quaerit, oblatam ingenti gaudio amplectatur. 8. Pulchritudo operum: ita enim charitas opera perficit, ut non solum vulgo placeant, sed & Deo, & Angelis grata, & ex omni parte perfecta videantur.

Conf. 3. Fructum 9. Qui est sustinentia ad-
versitatum: nam charitas est giganteae fortitudinis, onera adversitatum alijs importabilia expedite portat, nec eis premitur, nec oritur, nec fatigatur. Imò etiam cum hilaritate

Feria 5. Domin. 12. post Pentecost. 457

laritate sustinet. 10. Collectio internarum virtutum; charitas enim ut magnes memoriam, intellectum, voluntatem ad Deum trahit, nec à Deo divelli patitur. 11. Concordia voluntatum; facit enim charitas, ut hoc voluntas divina in suo genere præstet voluntati nostræ, quod in suo animo præstat corpori nostro. 12. Transformatio in Deum, quod fit virtutum Dei quâdam imitatione, & omnis immunditiæ abjectione. *Talis quisque nostrum est, qualis ejus dilectio, terram diligis, terra eris, Deum diligis, Deus eris,* inquit August, Tr. 2. epist. 1. in Joann.

MEDITATIO CCLVI.

Feria 5. Domin. 12. post Pentecost.

De Amicitia.

Aspiciam vinculum veræ amicitia de manibus Christi mihi porrigi, Petam usum ejus intelligere.

Conf. 1. Amicitia est mutua duorum benevolentia, in Virtute fundata, & bonorum communicatione conjuncta, vel est virtus, quâ homo decenter comiter, & suaviter se habet cum illis, quibuscum vivit, & conversatur.

Conf. 2. Incitamenta. 1. Amicorum ope ad coelestia promovemur. 2. Amicitia est imago patriæ coelestis, in qua Angeli se mutuò diligunt,

V

ligunt,